

Magnis literarum patronis et
æstimatoribus, patribus
civibusq; academicis R...

Tammelin, Lars,

17 Taad Fol.



MAGNIS LITERARUM PATRONIS
ET ÆSTIMATORIBUS,

PATRIBUS CIVIBUSQ; ACADEMICIS

REGIÆ ACADEMIÆ ABOENSIS H: T: RECTOR,

LAURENTIUS TAMMELIN,

Math: Prof: Regius & Ordin:

SALUTEM ET OFFICIA!



Symbolum Pythagoræ τὸ γινῶσι σαυτῶν, olim foribus templi Delphici inscriptum, & ab antiquis, tamquam oraculum ex tripode dictum, summa veneratione maximi æstimatum; hujus ævi Theologis, non quidem sinceris, orthodoxis & γρησῖας Lutheranis, verum Phanaticis, Pietistis, & ἰερῖας τῆς διανοίας laborantibus adpropriat celebris quidam in Germania Theologus & Pietistarum mastix: Idque non sine causa, in hoc enim κακοθῶν Mystarum ordine, quo ardentiori quis zelo pietatem fingit simulatque, eo se majori observantia coli postulat, dicta pro sacris oraculorum effatis, sententias pro fatidicis Divorum responsis obtrudit, imo religionem ipsam, leges omnes, publica quoque & privata rerum momenta, pro sua voluntate atque arbitrio versat. Hincque fit, ut de religiosa sanctitate & pietate devota, tam multi hodie loquantur, sed pauci eam vita exprimant, verique DEI vero cultu, doctrinæ, quam profitentur, veritatem obfignent; Verum è contra, ut famam sibi pariant, fastidiosa lascivientis ingenii protervia, novas opiniones, novosque excogitatae pietatis modos, & nescio quas non interioris hominis agitationes motusque comminiscuntur, injungunt, inanique λεπτολογία persvadent. Dolendum autem eo magis hoc tempore, quod sincera & non fucata pietas summique Numinis devota adoratio, tam paucis cordi sit, cum tam misera, lugubris, & squalida sit totius Europæ facies, imo quoque Regni & Patriæ nostræ dulcissimæ, tam lacrymabilis & funesta conditio, propter furibundi Martis rabiem, adeo ut nemo eam siccis oculis adspicere queat, sed omnino (utor verbis Hesiodi) ἀματούσσα ψιάδα abunde distillet: Vicini namque nostri circumcirca, crudelibus animis armisque, terra marique nos obsident, agris vastitatem, fortunis exitium, corporibus vim, conscientis servitutem, totique regno ruinam minitantur, ὦ πολέμων ἄελλας! Absit itaque, O absit in religione fucus, hypocrisis fictaque pietas, sed purus e puro corde in DEUM affectus apud unumquemque vigeat! præcipue calamitoso hoc nostro statu, humilimis precibus & devotis suspiriis, confugiamus ad Patrem nostrum Clementissimum in cælis, qui omni tempore miseris & afflictis fuit, est, & erit unica spes, portus & ara, & moderabitur ille sapientissime omnes tragicos eventus, diemque illum illucescere faciet, qui, dissipatis bellorum nebulis, ferenum tranquillitatis & pacis solem, nobis jam attonitis & consternatis redonet. Vera autem religio in regno nostro antiquissimo Sveogothico, ut eo firmiori talo staret semper inconcussa, in Academiis, seminariis Reipublicæ, ordinavit SACRA REGIA MAJESTAS (cui DEUS in æternum benedicat!) Doctores & Professores, qui Theologiam & sacræ scripturæ διευθῖνα, perspicue, clare, distincte, absque omni μαλολογία profiterentur; & gratulamur Athenæo huic nostro, in Hyperboreo mundi angulo constituto, cui tam fidus mysteriorum DEI dispensatores, tanque puros & venerandos sacrorum Antistites concessit ὁ πατήρ τῶν Φάτων, ut a primo inaugurationis die, ad hæc usque tempora, aliqua læresis, vel fanatici spiritus temeritas, celebritati & bonæ ejus famæ, ne minimam quidem inuisset maculam, concedat nobis & liberis nostris, proporro ad finem usque mundi, hanc felicitatem DEUS in secula benedictus!! ut vero in Academia hac nostra, exercitia Theologica nunquam, imo nec jam intra medios Billonæ furores conticescant, præfectus est Theologiæ polemicæ, quæ, discedente ab eadem Maxime Reverendo & Amplissimo Dn: M: TORSTANO RUDEEN, Superintendententi per Vermelandiam vigilantissimo, vacua relicta est, & a SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS Consiliariis ac Senatoribus celsissimis, ad ulteriorem Regis nostri clementissimi adprobationem confirmatus, VIR Plurimum Reverendus & Præclarissimus Dn: MAG. HERMANNUS ROSS, hætenus Scholæ heic loci Cathedralis Rector laudatissimus, qui quoniam felici omine, quod alma concedat Trias! Professionem hanc occupabit, ideoque speramus illum, spartam sibi concreditam, pro virili, in DEI gloriam & Studiosæ juventutis ædificationem, ornaturum, largiatur ipsi Spiritus Domini gratiam, vires, spiritumque Theologicum ab antiquorum neotericorumque Schismaticorum erroribus, liberum & immunem! Cumque solenni ejus introductioni, ex unanimi venerandi Senatus Academici decreto, destinata sit 31 diei hujus mensis hora decima antemeridiana, quam pulsus Campanæ templi indicabit; ideoque benignos faventesque literarum Patronos nec non Patres civesque Academicos, reverenter, comiter & officiose rogo, velint dicta die, gratiosi & faciles adesse in Acroaterio Academiæ maximo, introductionisque actum, venerabili & honorifica sua præsentia illustrem reddere, ut & munus suum capessentem Professore voti & adplausibus sinceris prosequi, favorem tam benignum grata semper mente agnoscere, & studiis reciprocis, oblata occasione, demereri uterque nostrum allaborabit. Valete! Dabam Aboæ sub sigillo solito Universitatis nostræ, 5to Calendarum Aprilis Anno MDCCX.



